



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

In Seqventem Librvm Avctoris Praefatio ad Nicolaum Villarium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Suetonius, & plerique omnes qui nomen aliquod habent inter Historicos; quorum imitatione & exemplo ego eorum Principum de quorum vita mihi aliquamentio facienda est, bona ac mala, virtutes ac vitia describam. Hoc illud est quod Demetrius Phalereus Ptolemao respondisse dicitur, solos scilicet libros sine ullo rubore aut fūco verum libere dicere. Sed quid ego vereor, ut mihi per talem rogem liceat bonas ac religionis amantes reges merito ornare præconio, & malorum facta ac vitia perstringere? Equidem porinde peccat qui malorum mores ac facta carpere non audeat, quam qui virtutes ac recte facta debito elogio defraudat. Domitiano imperante, nemo Titum Imperatorem Humani generis delicias, nemo Caligulam

populi Romani natricem, nemo eundem Mundi Phæthontem appellare audebat. At optimo Imperatore Adriano rerum potito, velut postliminii jure restituta libertate, tam vitia quam virtutes singulorum in aperto proponere, ac prout quisque meritus erat vel laudare vel vituperare licebat. Sic tua, Rex Christianissime, clementia ac bonitas calamo meo eam dabit libertatem, veraci scriptore dignam, ut ne in Historia hujus contextu ullam vim veritati facere cogar. Vive feliciter, Rex, vive, vale, ac perenna, cum tuo & regni tui bono.

Deus de nostris annis tibi addat, tibi, inquam, cui minor cura esse debet regni quam eius qui regna & imperia dispensat ac servat.

IN SEQUENTEM LIBRUM AVCTORIS PRÆFATIO
ad Nicolaum Villarium.



FFFERO tibi non Coronam Terrulliani, Gallice à me versam; non pompam Antichristi, iusto volumine à me depictam; sed tale munus, quod ego ex omnibus Christiana Reipublica regionibus collegi, & tale opus, in quo concinando jam diu me desudasse, ipse nosti. Ex ceteris regionibus tandem multo labore defatigatus in Franciam nostram veni, cui qua possum, opitulari canor, & à vicinorum exemplis præcepta aliquot saluberrima præscribere, qua in tanta grassantis hæreseos licentia sequi debeat. Quo labore defunctus, ad novum Orbem navigare constitui, ostensurus quanta ibi Catholica Ecclesia sumserit incrementa; adeo ut Deus velut relicto hoc orbe, in illum alterum commigrare, ac perpetuam sibi sedem ac domicilium ibi eligere velle videatur. Antequam vero oram solvam; Gallia nostra, Deo annuente, duos alios adhuc libros dabo. Equidem sic sentio, meum hunc librum, in quem quacumque selectissima habui, congeffi, merito damnatum iri, nisi aliquem in eo, etiam patria mea dem locum; quæ inter omnia regna Christiana pietatis præcipuam laudem ac primum locum semper habuit; jam (pro dolor) aliqua ex parte amisit. Videbis hic diversas mutationes, & eorum conatus qui omnia susque deque miscuerunt, ordinem sine ordine, & deformem hereticorum omniaque deformantem reformationem. Mihi quidem ista scribenti tadium saepe obortum est: regulas tamen omnium quæ umquam nata sunt hæreseon maxime irregularis religionis describere visum est. Victi longis verborum ambagibus, victores brevi utuntur oratione. Sic ego in hoc libro, pro illa Mundi victrice Ecclesia loquens. Hunc vero librum sub felicibus tui nominis auspiciis exire volo: simulque omnia mea studia voluntati tuæ atque imperio offero, &c.

Oo FLO.